



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Germanica

Châteillon, Sébastien

[S.l.], 1558

Capvt XXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54866](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54866)

THEOLOGIA

bia, neque incogitans libertas, aut etiam liberior animus, sed intima summissio, & depressus, demersus, tristis animus, & omnis ordo, æquitas, æqualitas, veritas, & quicquid ad omnes virtutes pertinet, ibi sit oportet, & pax, & sua sorte contentum esse. Quod si aliter est, non bene est homini, quemadmodum alibi copiosius bene dictum est. Ac planè quemadmodum ad hanc vnitionem nihil est, quod conducere aut conferre valeat: ita nihil est, quod eam impedire aut auertere possit, nisi duntaxat homo ipse sua propria voluntate.

CAPVT XXVII.

*Indolentiam in hac vita non cadere in hominem.*

*Mat. 26*

*c. 28. b*

*Mar. 14*

*c.*

*Luc. 24*

*f.*

**D**ictum & auditum est, posse & debere hominem in hac vita indolentem fieri, quomodo Christus post resurrectionem fuit: atque hoc inde probare & confirmare volunt, quod Christus dixit, Præcedam vos in Galilæa, ibi videbitis me. itemque quod dixit: Spiritus neque carnem neque ossa habet, sicuti vos me videtis habere. atque hoc sic volunt explanare: Sicut vos me vidistis, &

cum

cum mortali corpore atque vita secuti estis, ad eundem modum videbitis me, & ego vos præcedam, & vos me sequemini in Galilæa, hoc est, in indolentia & immutabilitate sentietis atque gustabitis, in qua viuetis & manebitis, antequam corporis mortem obeatis, & patiamini: vt quemadmodum me videtis carnem & ossa habere, cum tamen sim indolens, ad eundem planè modum eritis vos quoque in vestra corporalitate, vestraque mortali humanitate, à morte corporis illæsi. Ad hanc argumentationem sic respondetur: Non censuit Christus hominè huc peruenire posse aut debere, nisi prius omnia obierit, passusque fuerit, quæ Christus obijt, & passus est. Quòd si Christus huc non antè peruenit, quàm mortem corporis, cæteraq; ad id pertinètia obijt & passus est: certè nullus homo huc potest peruenire, aut peruenturus est, quamdiu mortalis, & dolori obnoxius est. Si enim esset hoc præstâtissimū atq; optimū, & si fieri posset aut deberet, vt in hac vita eò perueniretur, sicut antè dictū est, vtique in Christo factum fuisset.

Nam

THEOLOGIA

Nam Christi vita fuit & est præstantissima atque optima, Deoque excellentissima & charissima vita, quæ vnquã vel fuerit vel futura sit. Cum igitur id in Christo fieri nec debuerit, nec potuerit, nunquam profectò in vllò homine accidet, ita vt sit verè optimum aut præstantissimum. Potest quidem putari atq; dici, sed non idcirco ita est.

CAPVT XXVIII.

*Quomodo iusto lex lata non sit.* **D**icitur etiã, debere & posse hominem venire supra omnem virtutem, supra omnem ritum, institutum, præceptum, legem & æquitatem, ita vt hæc omnia deponat, excutiat & aboleat. Hic est aliquid verum, & aliquid non verum: id quod sic perpendendum est. Fuit Christus supra Christi vitam, supraq; omnem virtutem, ritum, institutum, &c. Diabolus quoque est supra hæc: sed dissimili ratione. Christus fuit & est supra hæc omnia, si sic rem intelligas. Omnia verba opera, ritus, actiones, & actionum omissiones, silentium, & locutio, perpessio, & quicquid vnquam Christo accidit, non erat ei  
ne-